

JUSTÆ LACHRYMÆ,

Mœstissimam (qvam lugubris 7. dies Julii, M. DCC. V.)  
*Super analysis vidit*

EXCELLENTISS. PRÆCLARISSIMI QVE  
**DN. M. GEORGII**  
**WENDII,**

Rectoris & Professoris hujus Gymnasii,  
dexterimi,

Genuini illius r̄iωγεῖ

Qui in Athenæo nostro decem lustravit aristas,

PROFUSÆ,

*à Cliente olim suo devintissimo*

J. G. Z.

---

THORUNII,  
EX OFFICINA NOBILISS. SENATUS ET GYMNASII

Dum

Inter silentii vocisqve confinia admirator hæret animus,  
& mœrori immergitur attonita mens,  
ex qvo tristibus mortis Umbris involvitur

*Excellens, Illustris, Eruditus*

M. GEORGIUS WENDIUS,  
Rector & Professor meritissimus,

tum

qvoties humili pronæ venerationis passu eum accedo,  
toties Veri, Ingenui, Illibati γεωγε γε post se relinquit vestigia.

*Dexterrime γεωγε !*

Qvo tendunt gressus ?

Itane ?

Obtenebratae fronti pallidos tristitiae nexus inaras ?  
& depresso in lamenta luctu occas oculos ?

adeò !

amplam dolorum messem superstitem finis.

Non aliter !

Sollicitus labor sollicitum jungit sui desiderium,  
ut individuo comitatui amoris, in vita,  
individuum lessum in morte,  
arcta gloriæ societas innodaret.

Nec est ;

Cur Urnæ ejus appendamus nænias,  
qvæ sanctissimis cineribus consecrata,  
calidis ebullientes lachrymis,  
meritorum indices,  
pietatis tesseras,  
integritatis fructus,  
testabitur æternum.

O necessitatem ineluctabilem !

qvæ nobis in gemendo à libera, eaque infucata  
benevolentiae idea imponitur.

Sed & libertatem non coercendam ,  
qva Pectus late beneficiis profluens nunquam constringi queat.

Ergo !

Qui longe patentia omnigenæ eruditionis seminaria produxit γεωγε,  
& qui inane hoc solum acri exercuit rastro,

cœlo redditus,

absolvit officii sui Complementum ,

licet diu absolutæ perfectionis ;

à rurestri hoc Orbe ad æternos agellos

suum qvod erat traduxerit potius, qvam consummaverit.

Jam sub tenero *Juventutis Flore* ;

Primitias Virtutum & Prudentiæ

divite fœnore evibravit.

Ha-

Harum incrementa divino Plasmatori gratus dicavit;  
ne subsecuturæ gratiæ, intercideret.

Pietate & industria sororò injuncta vinculo,  
soli semper benedictioni divinæ institit;  
ex qua una innumeram utilitatis decerpit segetem.

Vix ex Adolescentia terminis prodeuns;  
& jam ultra communem maturitatem insurrexit generosa indoless;

Ultra vota, ultra spem,  
non extra admirationem.

In illius crepusculo præclara refusit Lux,  
In herba insignes successus exuberabant,  
ad eo ut

nec in crepusculo, creperus nitor,  
nec in herba appareret herba.

Ita Artes & scientiæ cothurnatis incesserunt gradibus.

In virilis ætatis augmento, fastigium attigit.

Cui qui non succreverant eruditionis & gloriarum manipuli?

Blandæ Comitati affabilitas,

Affabilitati Prudentia,

Prudentiæ Sapientia,

placide adstipulabatur.

Dissonantia nullibi, ubique insigne moderationis temperamentum.

Venerandum successit Senium.

Huic plena aristis contigit canities.

Egregia emersit ubertas.

Satus in anticipantibus annis honor & reverentia,  
eximium protrusit Kæmñlæs;

Majestatem.

Qvam caput alte efferens doctrina asseruit,

Ipsa per se.

Nec dolori cedit;

Qvod ex diversa serentium sorte duplicis seminis unus fructus enituerit;

Inæstimabile qvippe hoc Decus,

Parva magnatum rerum Epitome!

Sed nec hoc desideretur;

Prodiit multiplex.

In eloqvio, in Dissertationibus, in curiosa triplicis Regni indagine,

in Conversatione, in Amicitia

illustre hoc cœli Depositum;

Majestas.

Sic in stadio annorum;

Ver pulcherrimis Virtutum adolevit floribus,

sub aurora Juventutis.

Æstas sacro studii fervore, calescens Pectus affluent adimplevit messe,

sub progerminante adolescentia.

Autumnus, Veris & Æstatis mergites excellenti auxit vigore,

Sub Virili fertilitate.

Hyems desumptam in horrea segetem tenacissime custodivit;

Sub venerabilis senectae frigore.

Ætas tota, tota vitæ periodus,  
glorioso successu & emicantibus præstantiæ Ignibus,  
undique coruscavit.

Non sibi autem solum, sed & aliis,  
serebat aut metebat,  
incomparabilis iste γεωγύς.

Non,

quasi falcem in alienam demiserit segetem,  
aut in alienis hospitatus fuerit arvis,

Sed

quod de penu sua refertissima depromiserit multis,  
quod Eruditionem vocamus.

quo demum cavit,

ut Musarum Filii proprio ralo insistere,

& vero veræ doctrinæ cortice occalescere assuefierent.

Quid?

Quod Adolescentes in Juvene, Viri in Adolescenti, Senes in Viro,  
Prudentissimi in Sene.

Et

quicquid ad cuiuscunq; munus quadrabat;  
invenerint largiter,

quod auscultarentur, exciperent, observarent, discerent.

Dicas!

adeo fœcundum cœlo accepisse pignus,  
ut quæ divisa beatos reddunt,  
collecta tenuerit;

ita quidem,

ut ingentem apparatum diminuerit nunquam,  
coamentaverit semper;

de quo multi vel spicilegium exoptassent.

Hinc deliciae, hinc amor!

Qui è singulis erga fidum γεωγύς constanter propullulavit.

Unde plurimis in locis decantatissima fama,

In variis illustri officio demonstrata dignitas,

In Thorunensibus præcipue æternum meritum florescit.

Qui

Jacturam sui γεωγύς salis irrigant lachrymis.

Qvibus cum memoria ad dexteritatem relabitur, labitur erecta spes.

Quid prohibet? ut exclamet!

Præclare γεωγύς,

Cur Caput inclinas? Cur Dextra fatiscit? Cur Pectus emoritur?

Unde Eruditionem, Promptitudinem, Integratatem depromperas.

Sed & Studiorum cohors indolescit mœsta γεωγύς suo.

Qvia Lustris duobus Musarum hic aperuit sacraria;

Singulaia Studioſorum sparsit semina;

In ea precibus indefessis benedictionis divinæ derivavit rorem,

Vitiorum extirpavit Rhamnos,

Induratum sæpius saxis fundum emollivit;

Lenitate, mansuetudine modestia singulos imbuit.

Num in hac opera non γεωγύς genuini partes expleverit?

vel ipsa Invidia respondeat.

Quare!

Inter cœlestes ovans triumphos.

Qui nec à falce sovientis mortis securus erat;

Immensam gaudiorum messem percipiat cœlestis ille γεωγύς.

Et quem fati pertinacia non rata excruciat,

tot suspitionum concio grabbatulo,

penitissima aspectus divini & Angelorum lætitia fruatur;

Molis omnis expers, beneficiorum æternorum Particeps,

desideratissimum Triadis Pignus;

avellendum nunquam, nunquam abripendum.